

qui quarumcumque personarum acta et dicta, alii alia tamen ratione, ita prosequerentur, ut nullam fabulae constitutionem, ut nullum ordinem, ut nullum denique illi praestitutum exitum haberent, tantumque subitis diverbiis et dictionibus mimorum in scaenis contexendis inter agendum mandarentur; pantomimi vero, nullis inter personas sermonibus alternis adhibitis, mutam quasi actionem ederent, eamque unis corporis motibus, signis, gestibus significarent. Pantomini itaque, qui in scaenis saltabant, pro sua quisque corporis celeritate ludicraque arte, ita artus et membra, ita caput, ita os, ita oculos movebant, ut modo aut annuendo aut abnuendo, modo etiam inter se pugnis, calcibus contendendo, modo scurrilia et obscena significando gestorum tantum adminiculis commode opportuneque usi, sententias suas usque aperirent, spectantiumque risum, cachinnos, clamores concitarent. Interdum vero, ut hilaritatem auferent, clarissimorum etiam virorum, qui spectandi causa in theatris sederent, a ludionibus in scaenis agebatur imitatio, qua eorum incessus, corporis habitus, figura, vocis sonus ad unguem redderetur et per effigiem quasi repraesentaretur. In antiquis extant fictilibus vasis ludionum figurae, pulcherrime pictae, ex quibus mimorum res et argumenta cognoscimus, quae in mimis ridebantur.

XVI. Per idem fere tempus, aliud fabularum genus in flore fuit, quod quidem, non Romae, sed Atellae, in maledicentissimo Campaniae oppido, ortum esse scimus. Iocosae erant et incompositae istiusmodi fabulae, quarum vis tota erat in arte et dicacitate histrionum posita. Praestituto enim tantum actionis peragendae contextu, fabula ex sermonibus personarum ex tempore fuis, ita conficiebatur, ut robur eius ex colloquentium facilitate et celeritate penderet. Ex longa iocorum inveniendorum consuetudine, qui ad concitandum risum valerent, sponte sua quasi definitae quaedam et in omnibus fere sibi semper constantes personae absque ludionum voluntate conformatae sunt, in quibus *Maccus*, *Bucco*,

Mimi et Pantomini

Diomed. 3. p. 487 et seqq.

Fabulae Atellanae

Liv. VII. ab Urb. cond. 2.

Atellanarum personae
Diomed. III. de Orat. pag. 488.
Isid. X. Orig.
Varr. VI. de Ling. lat. 3.
Varr. VII. de Ling. lat. 5.

Pappus, Dossennus adnumerantur. Fatuus et stolidus homo quidam primus, nugator insignis, verborum et minarum ditissimus, ita tamen ut, oblata sibi rixandi occasione, expeditionem se accipiendis quam paratior dandis verberibus ostenderet. Secundus autem, Bucco, quasi immensa aliqua vorago aut gurgis ciborum, ridendam parasiti personam gerebat, qui implendorum faucium causa alienas assidue mensas insectabatur quique, multa cum de se praedicaret ceterosque aspernaretur, eo reapse et ignavo timidoque animo erat, ut, si quem vel nequam vel frugi hominem unis verbis periclitatus esset, eum vehementissime pertimesceret quamque cellerrime fugeret. Pappus vero tertius eius senis partes agebat, qui, cum ingenio et natura sua sordidissimus et avarissimus esset, propter libidines tamen suas et amores, puellis, lenis, moechis indulgens, ingentes istarum nutu sumptus faceret. Quartus denique, Dossennus, foedissimo aspectu atque humeris incurvis horridus, nequissimi hominis imaginem exprimebat, qui ex astrorum observatione somniorumque interpretatione, sortes obscuras divinans atque praedicens, a plebe gratiam et lucrum captabat. Nugatorium hoc fabularum genus ad nativum vulgi ingenium accommodatum, cum in pagos vicosque ceteros, qui intra Vulturum flumen et Lirim feracissima in planitie iacent, sponte sua delapsum esset, mirum est quanto opere rusticanos homines ruri commorantes dicacitate ipsa incondita et incomposito risu exhilaraverit.

Liv. VII. ab Urb. cond. 2.

Fabulae Atellanae, cum ex urbe patria, postquam bellum Samniticum confectum est, Romam migravissent, tanto civium consensu et voluntate probatae sunt, ut iuvenes eas vel honesto loco nati in scaenis agerent. Neque eas, quae et vetusta rudique elegantia scribi coeptae erant, ab histrionibus pollui Romana iuventus passa est, institutumque immo ut Atellanarum actores nec tribu moverentur et stipendia, tamquam expertes artis ludicae, facerent. Ob eundem hunc populi Romani favorem, cum post aliquot annos, mimi quoque ea de causa lege prohibiti sunt, quia in lasciviam et

dicacitatem obscenissimam vertissent, Atellanis fabulis tamen est in scaenas prodeundi relicta facultas.

DE ORATIONE SOLUTA DEQUE PRIMIS LEGIBUS

XVII. Cum, litteris vix apud Graecos, ut constat, nascentibus, carmina et versus ex celeritate mentis hominum sua sponte quasi nata, multis annis ante scribi coepta essent quam sermo solutus in scripturis adhibitus, Romani contra, ut primum cogitationes suas monumentis mandare instituerunt, naturam ipsam ducem secuti, eodem in scribendo orationis genere usi sunt, quo in cotidianis sermonibus utebantur. Neque sane id praeter communem ceteris quoque gentibus usum apud illos accidisse miror. Nam, ut ad persequendas eas res, quae vitae usui parent, animorum conformatione trahebantur, ita genus dicendi illud maxime idoneum esse duxerunt, quod omnium utilitati serviret, quodque a cunctis civibus intelligeretur. Eandem ob causam accidit, ut, cum non Urbe nuper condita, sed adulta paene; aut non multum, aut nihil in disciplinis iis elaboraverint, quae abditis subtilibusque ratiocinationibus continentur, in ius vero omne indagandum, cuius ope homines in societatibus consociantur, tantum studii ab exordiis civitatis conferrent, quantum in describenda republica sapientissimus quisque adhibere soleat.

Sermo solutus

XVIII. Pervetustissima itaque orationis solutae monumenta, aliquo litterarum colore tincta, tum primum ediderunt Romani, cum certis verbis a regibus ipsis leges enunciatae sunt, quibus ut Urbs integra staret fideque iustitiaque vigeret, non minus quam moenium armorumque praesidiis corroboraverunt. Hae tamen leges, ut in civitatum initiis fieri solet, apud quas nondum scribendi ars invaluerit, non scriptae statim sunt, sed ad pristinum Lacedaemoniorum morem ore tenus atque memoriter tantum posteritati mandatae. Nemo

Leges regiae

tamen in dubium revocare poterit, quin reges eas edixerint, cum tam frequens apud Romanos scriptores huius rei mentio sit. Testem in primis Livium exhibeo, qui, cum antiquitatem omnem conquisivisset, Romulum «*rebus divinis rite perpetratis vocataque ad concilium multitudine, quae coalescere in populi unius corpus nulla re praeterquam legibus poterat, iura dedisse*» tradit. Ipsi itaque Urbis conditori leges multae tribuendae sunt, tum illae quae ad civitatem in tres centurias, in curias, in clientelas describendam pertinebant, tum postea illae, quae de magistratibus gerendis, de iure reddendo, de sacris agendis erant, tum etiam leges de patria potestate in liberos, deque virorum in uxores auctoritate, ex quibus postea celebratum illud familiae Romanae ius tamquam e primo fonte manavit, tum denique duae illae, quae vel suis et genuinis, vel paucis commutatis verbis extant, altera de parricidis huiusmodi: «*Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricidas esto*»; altera autem in patronos, qui clientibus fraudem fecissent. In eodem numero recensendae leges sunt, quas Numa sapientissime sanxit, ut duabus praeclarissimis rebus, religione atque clementia, rempublicam ad diuturnitatem confirmaret. Hic enim rex, non transmarinis nec importatis artibus, sed domesticis Romanorum virtutibus eruditus «*animos*» ut Cicero refert «*propositis legibus his, quas in monumentis habemus, ardentibus consuetudine et cupiditate bellandi, religionum caerimoniis mitigavit adiunxitque praeterea Flamines, Salios, virginesque Vestales omnesque partes religionis statuit sanctissime*», ideoque quasi conditor primus, non urbis quidem, sed civitatis, habitus est.

XIX. Ad pristina etiam soluti sermonis documenta, quae hoc loco numeramus, Tulli Hostilii lex illa «*de perduellione*» in primis spectabat, qua civibus iis, qui vel in rempublicam, vel in regem et populum, vel in magistratus iniuriam fecissent, capitis poena irrogabatur. Ideo autem haec lex per-

Liv. I. ab Urb.
cond. 3.

Cic. II de Leg.
9; Plut. Rom.
22.

Cic. II. de
Rep. 14.

duellionis nomine a Livio nuncupari videtur, quod cum Horatius, privata auctoritate, et rege et multitudine spectantibus, sororem insolenter necavisset, eorum maiestatem offenderat et laeserat. Livius hanc Hostilii legem de perduellionis iudicio his verbis refert: « *Duumviri perduellionem iudicent. Si a duumviris provocarit, provocatione certato. Si vincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito: verberato vel intra pomerium vel extra pomerium* ». Item Tullus ius primus constituit, ex quo per patrem patratum et res publice repetendae essent ab hostibus, et imperandae ex finibus decessiones, et bella, ni iusta vindicanti satisfactum esset, indicenda, paceque vicissim comparata, foedera ferienda; quod quidem ius cum iustissime ab eo esset inventum, ita fetiali religione sanctum voluit, ut quod bellum denuntiatum non esset, id iniustum idemque impium esse iudicaretur. Repertur apud Livium formula, qua, bello intermisso, inter Tullum et Albanos, foedus de trigeminorum pugna ex ritu iunctum est: « *Fetialis regem Tullum ita rogavit: « Iubesne me, rex, cum patre patrato populi Albani foedus ferire? » Iubente rege « Sagmina » inquit « te, rex, posco ». Rex ait: « Puram tollito ». Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit. Postea regem ita rogavit: « Rex, facisne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium, vasa comitesque meos? » Rex respondit: « Quod sine fraude mea populi Romani Quiritium fiat, facio. » Fetialis erat M. Valerius. Is patrem patratum Spurium Fusium fecit verbena caput capillosque tangens. Pater patratus ad ius iurandum patrandum, id est sanciedum fit foedus, multisque id verbis, quae longo effata carmine non operae est referre, peragit. Legibus deinde recitatis, « Audi » inquit « Iuppiter, audi pater patrato populi Albani, audi tu, populus Albanus: ut illa palam prima postrema ex illis tabulis cerave recitata sunt sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defexit publico consilio dolo*

Liv. I. ab Urb.
cond. 26.

Cic. II. de
Rep. 17.

Liv. I. ab Urb.
cond. 24.

malo, tum tu, ille Diespiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie feriam, tantoque magis ferito quanto magis potes pollesque.» Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Sua item carmina Albani suumque ius iurandum per suum dictatorem suosque sacerdotes peregerunt». Ancus vero, progrediente Romanorum cultu, quo totum bellandi ius in partes suas accuratius distinctiusque describeret, bellicis quibusdam caerimonis iussis, verba quoque sollemnia ad ritum invenit statuitque ut iis tantum, cum bellum indicendum esset, pater patratus uteretur.

XX. Atque etiam in legum auctoribus Servius Tullius memorandus est, siquidem, praeterquam quod et censum, et classes, et centurias civium descripsit, leges novas de contrahendis rebus et pactionibus deque iniuriis in cives a civibus illatis, edixit. Quarum unam nobis Festus in libro illo suo «*De verborum significatione*» prodidit huiusmodi: «*Si parentem puer verberit, puer diris parentum sacer esto*». Certum autem est leges has ceterasque, quae pro temporum necessitate a regibus conditae fuerant, vel postquam reges Urbe pulsati sunt, vel Tarquinio adhuc dominante, in unum corpus, quo facilius et immutatae custodirentur, et in iudicandis causis prae iudicum manibus essent, a Papirio quodam viro doctissimo, esse redactas, quapropter modo «*ius papirianum*» ab eius nomine, qui eas collegit, modo autem a regibus, qui fecerant «*leges regiae*» appellabantur. Suum tamen et ipsae fatum passae sunt cum ceteris eiusdem aetatis monumentis. Partim enim a Gallis incensae perierunt, partim vero, eae videlicet, quae Cicerone vivo exstabant adhuc, vel hominum incuria, vel temporis longinquitate ipsa absumptae evanuerunt.

XXI. Prisca verba quae antiquissimi sermonis effigiem quandam exprimebant in XII tabularum legibus erant, quarum, summo et litterarum et iuris detrimento, reliquiae tantum ex rerum monumentis hinc inde collectae supersunt.

*Fest. de Sign.
verb. plorare.*

*Pompon. I.
Digest. 2.2.3.*

Iura omnia civium in iis sanciebantur tum quae ad deorum cultum, ad sacerdotum collegia, ad religionem, ad sepulcra, ad sacrilegia spectant, tum ea quae domesticis privatisque rebus, bonis et possessionibus, furtis, matrimoniis, ceteris huiusmodi continentur, tum denique quae ad personam, ad patriam potestatem, ad familiam herciscundam, ad iudicia, ad servorum emptionem pertinent. In iisdem quoque tabulis, consulum iura et officia, tribunorum, dictatoris, censoris, praetorum munera describebantur, ut nullae inter varios magistratus controversiarum in muneribus fungendis causae posthac exstarent.

Leges XII tabularum.

XXII. Praeclarissimum de legibus hisce Cicero, qui eas pernoverat — eius enim aetate et erant ante civium oculos positae et memoria tenebantur a pueris — his verbis iudicium tulit: « *Fremant omnes licet, dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare* ». Dolendum sane est maximam partem in aeternum leges illas periisse, quibus tota civilis Romanorum scientia continebatur. Etenim, postquam a decemviris latae sunt, cum tabulis inscriptae in foro paterent, incendio illo Gallico exarserunt, quod fuit anno trecentesimo quarto et sexagesimo post conditam Urbem. Quamvis autem post Urbem a Camillo in integrum restitutam et ipsae cum ceteris rebus instauratae essent, anno decimo quadringentesimo post Christum natum, interciderunt; tunc enim Alaricus Urbem captam vastavit. Multis vero annis post vastationem, renovato iam Latinarum litterarum cultu, cum e terris, in quibus latebant, in lucem rediissent fragmenta XII tabularum quaedam, cumque iis additae essent reliquiae, quae erant in libris, aliqua earum pars deorum beneficio recuperata est, eaque ab eruditissimis eius temporis hominibus ad pristinum fere ordinem redacta. Hae tabularum leges, cum civibus omnibus, statim ac editae

Cic. I. de Orat. 44.

Liv. VI. ab Urb. cond. I.

*Liv. III. ab
Urb. cond. 34.* sunt, sive iuris aequabilitate, sive etiam sapientia placuissent, in immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo fons omnis publici privatiue iuris fuerunt. Inde leges, sapientissime conditae deinceps, tamquam ex uberrimo feracissimoque solo provenerunt, ut Valeriae, ut Canuleia, ut Licinia, ut Flaviana denique; quas leges cum sibi statuisset civitas, iuris magistra in omnem aetatem evasit.

In istis Romanorum legibus sunt orationis solutae exempla, quae litteris mandari coepta sunt in iisque genuinum Latinorum ingenium et species exprimitur. Si quis enim earum formam et dicendi genus inspexerit, nullam profecto vel artem, vel elegantiam et copiam invenerit; at omnes orationis virtutes atque nervos, dignitatem, gravitatem, perspicuitatem videbit, quae tantam in seligendis verbis et strictis et perspicuis et cuique rei vel aptissimis fuisse Romanorum diligentiam ostendunt, quanta in sapientissimis hominibus maximeque reipublicae studiosis poterat esse.

DE TABULIS RERUM GESTARUM ET LIBRIS

XXIII. Memoria rerum, quae quinque primis Urbis saeculis domi militiaeque a Romanis gestae sunt, non libris aut voluminibus tunc temporis scriptis, quae quidem exstent, sed certis illis et clarissimis potius monumentis consignata manet, quae vasis fictilibus, sepulcris, signatis nummis, lapidibus insculptis et columnis, ligneis marmoreisque statuis, signis, tabulis pictis, templorum vestigiis, ceterarum huiusmodi rerum reliquiis continentur. Cum tamen monumenta haec, quia nullos plerumque in se habeant inscriptos titulos, muta sint, neque aliter de rebus gestis loquantur, ac si per effigies et emblemata eas expressas nobis narrent, non nostra, qui litterarum initia indagamus, sed eorum hominum propria dicenda sunt, qui antiquitatem et rerum documenta figuris mandata in istis rebus inquirunt. Ad fontes igitur et capita, quae dicuntur,

historiarum cum natura sua pertineant, liceat ea nobis silentio praeterire atque vetustatis inquisitoribus relinquere : quamquam scio neminem esse, qui non videat, quantum utilitatis ea ad omnem vetustatem vel ignotam dignoscendam, vel obscuram incertamque illustrandam conferant.

At rerum multarum memoriam ab ipsis fere Urbis incubulis scriptitari coeptam esse non coniectura tantum affirmo, cum id et T. Livius et ceteri praestantissimi scriptores multis locis testentur. « *Ancus Marcius* » ait ille « *ut regnare coepit, et avitae gloriae memor, et quia proximum regnum, cetera egregium, ab una parte haud satis prosperum fuerat, aut neglectis religionibus aut prave cultis, longeque antiquissimum ratus sacra publica ut a Numa instituta erant facere, omnia ea ex commentariis regis pontificem in album relata proponere in publico iubet* ». Quibus verbis patet manifesto deorum cultum, caerimonias, religionem, regnante iam Numa, commentariis a pontificibus esse mandata, quae ut integra apud posteritatem omnem manerent, in publicum pontificis cura exposita sunt. Appellati autem « *commentarii regii* » sunt, non quod reges eos sua scripsissent manu, sed quod res unas, cum ad religionem, tum etiam ad reipublicae munera fungenda spectantes, quas vel statuissent, vel egissent reges, perpetuo narrabant.

XXIV. Ab regiiis commentariis historiarum exordia repetimus, quibus vetustate et genere proxime accedebant et « *libri pontificum* » in quibus collegiorum auspicia, responsa, auguria, decreta recensebantur, et « *dies fasti* » qui appellati sunt, in quibus indicabatur, quibus diebus « *omnia verba sine piaculo fari* » praetoribus liceret, hoc est causas omnes ex legibus diiudicare, reos absolvere vel poenis multare. Hanc similitudinem dierum atque annorum notandorum bene multi postea secuti, etiam cum, aut pontificum et sacerdotum et collegiorum nomina et officia, aut, postquam reges pulsi sunt, creatos in annum consules, aut actos ab impera-

Commentarii
regii

Liv. I. ab Urb.
cond. 32.

Libri pontifi-
cum, fasti, ta-
bulae

Liv. I. ab Urb.
cond. 19;
Varr. VI. de
Ling. lat. 29

toribus triumphos recensuere, varias pro munerum ratione tabulas confecerunt, quarum aliae « *fasti sacerdotales* » aliae « *consulares* » aliae « *triumphales* » aucta verbi significatione, appellatae sunt. In antiquissimis etiam litterarum monumentis erant « *magistratuuum commentarii* » atque « *tabulae censoriae* ». In his enim cives omnes, pro cuiusque re familiari, in ordines a censoribus redigebantur; in illis vero quidquid de rebus agendis quotidie decreverant magistratus, breviter referebatur. Hos magistratuuum commentarios Livius « *libros linteos* » nominat traditque eos in aede Monetae, quo diligentius custodirentur, esse repositos.

Liv. IV. ab
Urb. cond. 20.

Annales ma-
ximi.

Cic. II. de
Orat. 12.

Serv. I. ad
Aen. 377.

XXV. Rerum vero Romanarum notitia omnium in « *Annalibus Maximis* » continebatur, quorum mentio apud Cicero- nem est quaedam nos de historiaram initiis docentem. « *Erat autem* » ait « *historia nihil aliud nisi annalium confectio : cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus referebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi : itaque etiam nunc annales maximi nominantur* ». De iisdem autem haec nobis Servius tradit : « *Ita autem annales conficiebantur : tabulam dealbatam quotannis pontifex maximus habuit, in qua praescriptis consulum nominibus et aliorum magistratuuum, digna memoratu notare consueverat, domi militiaeque, terra marique gesta, per singulas dies. Cuius diligentiae annuos commentarios in octoginta libros veteres rettulerunt eosque a pontificibus maximis, a quibus fiebant, Annales Maximos appellarunt* ». Inspectis itaque temporum intervallis, quae ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Scaevolam sunt, cernimus sescentos amplius annos sine intermissione in tabulis eos fuisse conscriptos — Mucius enim anno sescentesimo tricesimo tertio post Romam conditam pontifex creatus est — posteaque, cum iam privati

homines monumenta rerum gestarum libris mandare coepissent, eos in octoginta libros ab ipso fortasse P. Mucio pontifice redactos, quo facilius commodiusque antiquitatis memoria in omni posteritate servaretur. At ne ita quidem diutissime tempora tulisse videntur, quamvis hanc in libros Annalium confectionem Ciceronis aetate exstitisse certissimum sit. Eo enim in loco, quem paulo supra rettulimus, ita de iis loquitur ac si prae manibus habeat. « *Etiam nunc* » inquit « *annales maximi nominantur* »; atque etiam de iis haec alibi addit: « *neque vero satis in annalium publicorum auctoritate declaratum videmus* ».

Cic. I. de Rep.
15.

XXVI. Nonnullae Romanorum res, quae in Annalibus Maximis certe continebantur, passim ex locis quibusdam scriptorum colligi possunt, qui inde se eas deprompsisse testantur. Huiusmodi sunt, quae Gellius de haruspibus tradit ex Etruria accitis, ut fulgur piaculis luerent, quod statua Horatii Coclitis in comitio posita de caelo tacta esset: qui quidem haruspices, cum populo contrariis religionibus suasissent, ut statuum in locum transferrent, quem sol ob appositas circum undique aedes numquam illustraret, de perfidia delati populi iussu necati sunt. Collocata inde in loco edito statua, res bene ac prospere populo Romano cessit. Ex iisdem Annalium fontibus Cicero solis defectionem refert, quae visa est anno trecentesimo quinquagesimo post Urbem conditam; atque etiam eorum auctoritate utitur alio loco, ut opinionem eorum explodat, qui Numam regem vel Pythagorae ipsius auditorem, vel Pythagoreum existimarent. Annalium mentio apud Dionysium Halicarnasseum quoque et Vopiscum occurrit, quorum alter in persequendis diligentissime temporum ordinibus sententiam Polybii refellit, qui ex annorum dinumeratione, quae in illis esset, anno, ut nos temporum ordines notamus, septingentesimo quinquagesimo uno ante Christum natum Urbem conditam esse ponebat; alter vero Annales interregni testes citat, quod sex mensium

Gell. VI. Noct.
Att. 5.

Cic. I. de Rep.
16; II., 15.

Dionys. I.
Ῥωμα. Ἀρχ.
74.

Vop. Vit.
Tac. I.

intervallum post Romulum mortuum in civitate fuit. Ceterum res, quae in Annalibus Maximis notabantur, et varias et singulares fuisse ex multis aliis scriptorum locis inferimus, quos iisdem ut fontibus usos esse facile nobis suspicari licet. In his adnumerandi esse videntur loci illi, in quibus solis quaedam defectiones et caligines lunae, annonae carae, templa exstructa et dicata, pestilentiae, morbi, sacrificia a sacerdotibus sollempni ritu facta, ut deos iratos civitati propitios facerent, cetera huiusmodi, aut religione aut novitate praestantia, memorantur.

XXVII. Ad Annales quoque, tamquam ad fontes unde provenerint, referenda esse videntur signa mira et prodigia, quae passim in T. Livii narrationibus reperiuntur, ut solis orbis, qui minui visus esset, ut duae interdiu lunae ortae, fontes, qui cruentis maculis sparsi manassent, ut arma, scuta sanguine stillantia, ut milites, qui fulminibus icti essent, ut multa alia in caelo conspecta portenta, quibus deorum numina interdictaque hominibus divinitus pateferi pontifices docerent. Atque etiam ab illis repetenda credo, quae de mortibus clarissimorum virorum, et Aruntis, et Lucretiae, et Horatii Coclitis, et Mucii Scaevolae, et Cleliae a scriptoribus laudibus celebrantur; tum notationes, quae in recentioribus historiarum libris continentur, feriarum et piaculorum; tum descriptiones ludorum, spectaculorum, quae vel ad crimina publica luenda, vel ad pestes morbosque ab Urbe amovenda, vel in rebus adversis ad placandas deorum iras habebantur; tum etiam, ab iisdem, ut ex tabulariis publicis relata, bella quae hostibus illata sunt, foedera cum sociis inita, triumphos post partas victorias actos. Haec autem omnia reapse in Annalibus relata esse ex Ciceronis verbis paulo supra positus inferimus: «*res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex*»; neque vero non ex Servii etiam illis: «*digna memoratu notare consueverat pontifex, domi militiaeque, terra marique gesta, per singulas dies*». In his itaque libris

*Liv. I ab Urb.
cond. 45; alibi*

passim;

*Varr. V. de
Ling. lat. 74.*

*Liv. XXII ab
Urb. cond. I.*

Dionys. IV.

**Πορ. *Αρχ.*

Cic. II. de

Fin. 20; Flor. I

Epit. 10.

Liv. VII. ab

Urb. cond. 2.

et. pass. mult.

in loc.

pontifices sine ullis ornamentis, temporum, hominum, locorum, gestarum rerum monumenta reliquerunt, quae apud scriptores, qui postea fuerunt, ad historiarum narrandarum artem exacta, etiam nunc maximo legimus studio et voluptate.

XXVIII. Hanc pontificum consuetudinem privati homines a regiis annis secuti, patrum suorum tum domesticas res, tum quas in magistratibus gesserant, tabulis et codicibus notare soliti erant, quae in tablinis familiarum custodiebantur. Mortuorum laudationes saepe a Cicerone memorantur. « *Ipsae* » ait « *familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam* ». Cum tamen id unum in scribendo sibi proposuissent, ut maiorum suorum virtutem ac res gestas posteritati mandarent, multa non solum exaggerata et ficta, immo absurde ficta, rebus vere gestis interposuerunt. « *His laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis quae facta non sunt: falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus* ». Atque etiam Livius « *vitiatam memoriam funebribus laudibus* » censet « *falsisque imaginum titulis, dum familiae ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt. Inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa* ». Hanc ob causam, cum incredibilia quaedam in suis narrationibus esse noverit, non omnia ita fuisse, ut narrat, sibi compertum esse monet.

Monumenta rerum privatarum.

Plin. XXXV. Nat. Hist. 2.

Cic. Brut. 16.

Cic. Brut. 16.

Liv. VIII. ab Urb. cond. 40.

Fuerunt igitur haec historiarum initia rudia quidem atque incondita, neque tamen contemnenda. Cum enim nulla fere tunc temporis esset apud Romanos litterarum Graecarum notitia, memoriam omnem rerum gestarum prope innumerabilium, deorum cultum caerimoniasque, quas reges publice statuissent, conditas ab iisdem leges, consulum et nomina

magistratum, eorum ordines, munera atque officia, quibus vicissim essent functi pedestres navalesque pugnas, quas vel intra vel extra fines Italiae fecissent, oppugnationes urbium, provincias, quas in suam rede-gissent dicionem, tot tantisque consignatam monumentis cives privati reliquerunt, ex quibus eam in posteritatem omnem scriptores eruerent, eamque litterarum ornamentis decoratam ad nominis Romani gloriam immortalitatemque narrarent.

DE INCUNABULIS ELOQUENTIAE

XXIX. Cum monumenta orationum litteris ante Cicero-nem tradita nulla prorsus habeamus, nullaeque vel earum partes iisdem verbis, quibus prolatae fuerint, in rerum scrip-toribus reperiantur, ad primos partus oratorum indagandos perscrutandosque fontes, notationibus unis uti nobis necesse est, quae saepe in grammaticorum libris occurrunt. Ex his itaque locis neque sero admodum expetitam neque a Graecia translata eloquentiam colligimus, sed in libera civitate antiquitus natam celerrimeque ad excellentiam quasi promo-tam videmus. Quod quidem, cum multis aliis Ciceronis locis apertissime indicetur, hoc maxime Tusculanarum libris con-firmatur. « *Oratorem* » enim Cicero ait « *celeriter complexi su-mus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum, post autem eruditum* ». Quibus verbis profecto duo eloquen-tiae tempora, certis inter se notis distincta, vir sapientissimus acute coniecit; antiquius alterum, quod Latinarum litterarum aetatem primam, de qua agimus hoc libro, totam et integram complectitur, cum homines sine arte, sine doctrinis ullis lo-quebantur, sed natura tantum, aut usu aliquo atque exerci-tatione, quidquid sentiebant in animis, nullis adhibitis ver-borum fucis, attenuate vehementerque dicebant; alterum vero recentius, cum dicendi vis atque copia, rhetorum Graeco-

rum praeceptis elaborata, doctrinisque locupletior facta, progressionem admirabilem incredibilemque cursum ad perfectionem fecit.

XXX. Ad pristinum tempus genus illud spectat, quod ex mortuorum religione initium cepisse certissimum est, quodque Latine « *laudativum* » Graece autem « ἐγκωμιαστικόν » appellatur. Funebribus enim laudationibus continebatur, quae in funeribus clarissimorum virorum celebrandis, ut supra diximus, aut ab eorum filiis, aut a propinquis clientibusque, aut ab amicis et collegis in magistratibus, ante sepelienda corpora dicebantur; quibus laudationibus Cicero, diligentissimus in hac parte antiquitatis investigator, nihil habet antiquius, quod in notandis oratorum fontibus capitibusque proferendum putet. Nec id quidem genus, inspectis temporibus, est contemnendum omnino. Quamquam enim mortuorum laudationes nullis erant initio tinctae litteris, quae in orationibus expetuntur, in iisque multa celebrabantur falsa, quaeque non erant facta, attamen insitam esse in animis Romanorum ostendebant in communique quasi usu positam dicendi facultatem et copiam. Immo vero nonnullas earum fuisse, non sententiis modo nobilissimis refertas, sed quibusdam quoque orationis luminibus distinctas, cum coniectura probabile est — solent enim mortuorum res dolore ipso poetarum in modum exornari — tum certis etiam vestigiis indicatur. Quam enim Q. Fabii Maximi orationem in filium mortuum, virum clarum atque consularem, Cato sua aetate legisse testatur, eam sapientissimo quoque philosopho haud indignam habuit. Floruit autem Maximus, qui Tarentum recepit, vix ineunte litterarum adolescentia; qui quidem non tantum in laudando filio potuisset, nisi accuratior ante eum ac verbis locupletior et illustrior iam facta esset oratio.

XXXI. Inter laudationes autem, quarum ad nos memoria prodita est, antiquissima videtur illa, quam Plutarchus auctor est P. Valerium Publicolam dixisse ut L. Iunium Brutum,

*Laudationes
mortuorum*

Cic. Brut. 16.

Cic. de Senect.

4.

collegam suum in consulatu, mortuum laudaret. Rem sane oratore summo dignam! Etenim, ut novimus, cum Brutus ille dominatu regio patriam liberavisset, in proelioque pro libera civitate servanda contra Tarquinius illato cum Arunte congressus esset, mutuis alter alterum vulneribus necavit. Aliae duae etiam hoc loco mihi antiquiores mortuorum laudationes recensenti, ob magnitudinem rerum, quae in iis a consulibus factae celebrabantur, occurrunt, altera M. Fabii consulis in collegam Manlium atque eadem in fratrem, quorum uterque, una in Veientes fortissime pugnans, immortali occubuerat morti; altera quam, tribunis plebis conantibus ne fieret, plebs contra maluit audire, ne dies supremus Appii Claudii praestantissimi viri honore suo fraudaretur. Quanti autem honos laudationis habitus sit, ex hoc facile potest argui, quod, cum matronis populus gratias agere statuisset, quia aurum ad mercedem cum Gallis pactam conficiendam contulissent, scite decrevit, ut earum quoque sicut virorum post mortem laudatio esset.

XXXII. Ii vero oratores, qui aut in rebus ad rem publicam spectantibus, aut in causis forensibus, in quibus de iure fit controversia dicendo versantur — quamquam non desunt qui Numam ex regibus eloquentia floruisse credant — non prius quam reges pulsati sunt, vel esse vel vigere saltem potuere. Verum, ut primum perpetua dominatione civitas liberata est, cum magnam sane civibus vim dignitatemque afferret oratio, cumque perbreve ad magistratus capessendos certissimamque sterneret viam, mirum est quantum in hac una dicendi laude viguerint. Postquam igitur vehemens illa e fundamentis institutorum et legum conversio facta est, quae celeriter in melius civitatem renovavit, eadem praestantissimorum virorum eloquentia, cuius auxilio civitas oppressa e servitute se in libertatem vindicaverat, ex libertate, quam pepererat, in asperitatibus rerum novarum, vires sibi et robur statim adiecit. Nam cum, post reges exactos, tum ius

Plut. Publ. 9;
Liv. II. ab
Urb. cond. 6.
et 7.

Liv. ibid. 47.

Liv. ibid. 16.

Liv. V. ibid.
50.

condendarum legum, tum civitatis regendae administrandaeque imperium in multitudinem cessissent, eae rerum conditiones partae sunt, ex quibus ita oratores sua sponte quasi nascuntur, ut ex abditis in terra parvis seminibus, accedente sole, laetissimas procreari segetes videmus.

XXXIII. L. Iunium Brutum, qui Tarquinius deturbavit, quia plebem in illos dicendo inflammavisset, abrogavissetque postea collegae imperium, fuisse natura eloquentem Cicero suspicatur. Atque etiam M. Valerium dictatorem, quod sedaverit discordias, L. Valerium Potitum, quod post decemviralem invidiam plebem in patres incitatum legibus et concionibus suis mitigaverit, C. Fabricium, Ti. Coruncanium, M^o. Durium, alium ob aliam causam disserendi facultate aliqua valuisse apud populum credit; sed eos oratores habitos esse, aut omnino tum ullum eloquentiae praemium fuisse nihil Cicero se legisse fatetur. Neque id quidem inepte suspicatur. Qui enim potuissent, cum essent cives privati, regium dominatum primum, postea vero decemvirorum potestatem aut effringere aut refrenare, dissentiones civium dissipare, animorum perturbationes, modo prudentia coercere, modo cedere atque inflammare, tot mentes inter se studiis, ingenio naturaque discrepantes, in unam sententiam coniungere, legibus iuribus consociare, nisi in concionibus, in comitiis et foro, non generis praestantia privataque nobilitate, sed oratione apud senatum populumque quam plurimum valuissent? Nonne haec omnia eniti et dicendo contendere ut a civibus fiant, est munus illud quasi divinum, quod oratoris in primis esse videtur?

XXXIV. Plurimae in primis historiarum libris sunt et pulcherrimae et artis plenae orationes, quas Livius ita refert, ac si reapse, vel in senatu, vel in comitiis et concionibus, vel coram militibus oratores eas habuerint; tamen falsae et ab eo fictae a multis putantur. Equidem eas, quamquam non iisdem verbis, quibus ipse refert, ab antiquis oratoribus dic-

tas existimaverim, rebus enim, quae tunc temporis in deliberationem cadebant, congruere et inhaerere videntur, et mentes animosque illorum spirant, quos loquentes et quasi agentes inducit. Mihi enim Livianae illae antiquarum orationum imaginem exhibent, quae in tablinis familiarum vel etiam rei publicae, una cum aliis rerum gestarum monumentis custodiebantur. Nullus a Livio plebis tumultus memoratur, qui non fuerit ab oratoribus vel concitatus, vel frequentius sedatus; nullae conditae leges, indicta bella, foedera cum sociis icta, quin aliquis orator loquendo probaverit. Quod cum mecum ipse perpendo, in mentem mihi tribuniciae conciones magnificentaeque patrum orationes veniunt, quae in senatu saepissime de omnibus reipublicae rebus habebantur, quibus civium animi ad tantas tamque diversas res peragendas incitabantur. Huic tamen eloquentiae cum neque de industria neque consulto operam darent, orationes suas non scribebant, sed quae domi secum essent commentati, incredibili animorum contentione aperte dicebant.

APPIUS CLAUDIUS CAECUS

XXXV. Orationes primus Appius Claudius ille conscribere instituit, qui propter caecitatem, qua multos annos in senectute laboravit, appellatus est Caecus. Singularem sane virum! quem et ex magistratibus et ex rebus, quas felicissime gessit, antiquorum Romanorum Romanum in primis facile dixerim. Cum enim incredibili iuvenis animi pertinacia, gravitate prudentiaque senibus digna fuisset in censura, quam ultra tempus administravit, creatusque consul Sabi-
 norum et Tuscorum exercitus profligavisset, cepissetque complura oppida Samnitium, cumque viam stravisset, quae nomine eius Appia nuncupata est, atque etiam aquam in Urbem adduxisset, cumque denique magnificas aedes Bellonae exae-

*Liv. IX. ab
 Urb. cond. 29;
 XXXIII., 34.*

dificavisset, adeo intentum semper animum, tamquam arcum, vigilantemque habebat, ut nec valetudine opprimeretur, nec privato nec publico muneri deesset. Extremam aetatem, ut non aut inertis et ignava, aut somniculosa esset, in litteris colendis ediscendisque legibus atque iuribus consumpsit. Ex Panaetii epistula illa, quae apud Ciceronem memoratur, carmen quoddam Pythagoreum ab eo confectum esse colligimus, quod a Panaetio ipso valde laudatur; quo in carmine, ut videtur, inerat notissimus versus:

Cic. IV.
Tusc. 2.

Faber est suae quisque fortunae

qui vulgo in proverbium usurpatur. Primus novam vocabulorum scribendorum rationem instituisse videtur, adhibita cura, quo mollior dulciorque atque quasi rotundior esset oratio. Hanc ob causam, quo aptius distinctiusque verba sonarent, cum litteram «S» si media inter vocales esset, e medio sustulisset, «R» liquidum invenit, quod in illius locum sufficeret. Ideo pro «Fusios» «Furios» scribebat, pro «Valesios» «Valerios». Idemque litteram «Z» detestabatur, quod duriorrem asperiorremque sonum redderet.

Pseudosall.
Orat. I. de
Rep.

Pompon. I.
Dig. 2. 2. 36
Plin. XXXII
Nat. Hist. 6.1.

XXXVI. Iuris scientia tanta fuit in eo, ut «Centummanus» nominatus sit; quod quidem cognomen abs multitudine clientum et servorum, quibus quasi totidem manibus uteretur, ei datum esse videtur. Eum primum scripsisse traditum est librum «De usurpationibus» qui non exstat. Verum in orationibus conscribendis multo magis quam in grammaticorum quaestiunculis, vel etiam in gravioribus disputationibus de iure definiendo, eum versatum esse censemus. Anno enim quadringentesimo quinquagesimo quarto legem de pontificibus et auguribus plebeis dissuasit; quae tamen lex, eo frustra obnitente, lata est. Postero anno, ut Cicero scriptum reliquit, comitia habuit, quod de plebe consulem non acciperet. Cum autem iam caecus esset et multos annos natus audivissetque

Pompon. I.
Dig. 2. 2. 36

Liv. X. ab Ur
cond. 7. 8. 9.
Cic. Brut. 14

Cic. V. Tusc.
38., Brut. 14.
Liv. Epit. 13.

legatos a Pyrrho Romam ad petendam pacem amicitiamque venisse, cumque se in senatum afferri iussisset, ita vehementer ibi, legatis audientibus, ad patres locutus est, ut senatum iam iam inclinatum a pace revocaverit, neque cum Pyrrho de pace loqui passus est, quoad is cum exercitibus bubusque illis Lucis in Italia esset. Hanc ceterasque Appii orationes multos annos aetatem tulisse, Cicerone, Tacito, aliis scriptoribus testantibus, certissimum est; quamquam ea erat earum dictio, ut nemo paene Ciceronis aetate esset, qui eas legeret. At Senecae temporibus non defuerunt qui, nimio obsoletarum locutionum studio, in earum lectione assidue versarentur, easque prae Catonianis ipsis magis mirarentur. Hominem, inquam, sane beatum istum atque in caecitate sua providum! qui, cum in rebus gerendis domi militiaeque totam aetatem posuisset, consulissetque satis, quantum staret in eo, immortalitati gloriaeque nominis, Ciceronem laudum suarum praeconem invenerit, qui integram tum morum illorum antiquorum, tum virtutis, tum constantiae, sapientiae, patriae disciplinae imaginem in eo, tamquam in speculo mirabiliter expressam, praedicaret.

Tac. Orat. 17.

Cic. de Sen. 6.

LIBER SECUNDUS DE LITTERARUM LATINARUM ADULESCENTIA AB ANNO DXIV CONDITAE URBS AD DCLXVI QUO CICERO IN FORUM PROCURRIT

DE REBUS A ROMANIS IN ADULESCENTIA GESTIS

I. Mihi saepenumero in summos homines intuenti, qui hac aetate fuerunt, multis et summis laudibus praeditos, quaerendum esse visum est, quo tandem deorum beneficio acciderit ut tot tantique simul uno quasi tempore cives virtute, sapientia, nobilitate praestantes floruerint. Enimvero, his sane saeculis, quae inter bellum Punicum primum et Ciceronis aetatem intercedunt, cum infinitam quasi gloriae materiam, sive maxima et atrocissima bella continenter gerendo, sive etiam artes omnes et litteras, aut primum condendo, aut mirifice alendo, sibi quam celerrime comparavissent Romani, tanto lumine terrarum orbem collustraverunt, ut longe lateque, tamquam sol in immenso mundo, Roma luceret. Atqui post memorabilem victoriam, ut saepissime in humanis rebus fieri solet, maximum respublica in moribus illis antiquis detrimentum accepit. Quo tempore enim, Carthagine deleta, terrarum orbem in suam potestatem redigere coeperunt, civilium dissensionum semina sata sunt, quae postea civitatem everterunt, simulque mores paulatim ad mollitiem delapsi sunt, ex qua posteris temporibus numquam sese refecerunt.

II. Satis constat quot quantaque et fortia in bellis agendis et immortalis digna memoria fecerint. Etenim bello Punico primo confecto, postquam gentes omnes, quae in Italia inque insula Sicilia erant, in suam aut dicionem, aut amicitiam acceperunt, Sardos etiam et Corsos, qui sub Carthaginensibus fuerant, atque Gallos Insubres, et Illyricos, qui piratarum more latrocinia maritima faciebant, facili occupatione — no-

verant enim navibus uti—suo brevi tempore imperio adiunxerunt. Deinceps statim, cum illud Punicum bellum secundum ortum esset, quod eo maxime omnium memorabile fuit, quia in eo uno totus Romanarum fortunarum eventus constitit, de totius terrarum orbis imperio, summis viribus summaque contentione, decertandum fuit. Dirus enim Hannibal, Sagunto expugnato, cum Alpes transgressus esset devicissetque ad Ticinum, ad Trebiam, ad Trasumenum Romanorum exercitus, magnis per Apenninum montem itineribus, Urbi minaciter appropinquabat. Haec proelia, post Q. Fabii Maximi dictaturam illius, qui per ludibrium Cunctator est appellatus, quod nimirum, Senatu populoque festinantibus, in re gerenda cunctari videretur, subsecuta est illa ad Cannas clades. Quam quidem ignominiam una ad Zamam pugna Scipio Africanus Maior delevit partaque victoria, sociis iis, qui a Romanis in Italia defecerant ad Carthaginiensem, una cum gentibus externis metum iniecit. Statim in eos severe ac vehementer vindicatum est, qui vel, ut Galli, auxilia contra eos Hannibali dedissent, vel etiam afferre in animo tantum habuissent, ut Philippus, Macedonum rex, qui cum Hannibale victore post Cannense proelium foedus fecerat. Nec vero contra Hispanos primum et Antiochum, qui hospitio Poenum alia molientem acceperat, pauloque post in Lusitanos, qui seditiones concitaverant, aut tardiores in ulciscendo aut remissiores fuerunt.

III. Carthagine itaque anno sescentesimo sexto post conditam Urbem eversa, subactis gentibus, quas modo memoravi, Romanis iter patuit ad ceteras quoque nationes, quae maris interni oras tenebant simulque cum ad Graeciam quoque, quam in provinciam Achaiam redegerant, esset aditus apertus, ad litterarum ingenuarumque artium studia, quasi ad fontes, propius accesserunt. Noverant enim iam antea a civitatibus Graeciae, quae maior dicta est, humanitatem et cultum, cum Campanos, Calabros, Crotoniatas, Syracusanos, demum Agrigentinos occupaverant. Hostibus tamen externis subiectis,

*Prima Romanorum
commercium cum
Graecis*

cum milites veteranique patriciis, quod ingentes ex bellis sibi divitias comparavissent, irasci coepissent, maximae primum dissentiones et contentiones ortae sunt primumque civium inter sese pugnantium caedes fuere. Nonnulli tribuni plebis turpiter interfecti sunt, quorum antea vita sacra habebatur, inter quos fratres Gracchi, iugulatusque in lectulo Livius Drusus minor, illius Livii filius, qui C. Gracchum accusaverat; quibus cum ceteri quoque tribuni plebis obversarentur, quod a suo munere atque officio fungendo, accepta pecunia, ad patricos defecissent, partes inter civitatis principes et populares sunt illae ortae, quae multos annos de republica regenda acriter contenderunt. Hinc iuris, fortunarum, imperii nundinationes; hinc et sociale et civile bellum, hinc marianae interneciones, et clarissimorum civium proscriptiones a L. Cornelio Sulla iussae, hinc turpissimi patrum cum Iugurtha mercatus. Quae, quamquam omnia domi et divina et humana perverterant ac miscuerant, non obstiterunt tamen quominus et bellum cum Iugurtha rege pro iure meritoque conficeretur, et magna Cimbrorum et Teutonum clades a Mario ederetur, et Mithridatis exercitus fugarentur a Sulla. Tantum Romanorum virtus et nomen etiam tunc apud barbaras nationes valebat!

IV. Hanc totius reipublicae immutationem illa fecit domesticorum morum mutatio, quae iam aliquot annis ante fuerat; nam conciderat munitissima illa reipublicae arx, quae in unis privatis civium moribus stat. Inter tot rerum discrimina, sive quod frequentiora cum ceteris nationibus facta erant commercia, sive etiam quod ingens divitiarum copia Romam affluere coeperat, sive quod crebrius Romam, postquam capta est Graecia, commeabant et litterae et ceterae artes, homines frugales frugique qui fuerant, vehementer pertaesum est quod modice antea parceque iis rebus et commodis usi essent, quae ad vitae cultum pertinent. Itaque et spreverunt magnum illud rei domesticae vectigal parsimoniam, cum,

Morum omnium conversio.

frugalitate despecta, exquisitissimis cibis vescerentur neque ullum sibi divitiarum parandarum modum imponerent. Ergo cum aedificia amplissima, magnificis hortis aquarumque receptaculis ornata, sibi extruxissent, ut in maxima rerum omnium abundantia viverent, signis aeneis ea, marmoreis, eburneis, tabulis pictis, vasis Corinthiis Deliacisque ex argento auroque caelato, pulcherrimis mensis, gemmis margaritisque, omni denique supellectile locupletaverunt. Videlicet haec omnia gentibus, quas bello superaverant, vel extorserunt vel improbissima ratione praedati sunt. Una cum deorum simulacris Romam allatae sunt mirificae illae fabulae a poetis fictae atque elegantes fallacesque philosophorum doctrinae de natura ingeniisque deorum, ex quo severa etiam patrum religio immutari et elabi in dies coepit. Graecorum carminibus delectari coeperunt, quae cum degustavissent, subtiliores in diiudicandis litteris artibusque facti sunt atque in carminibus fundendis elegantiores. At Cato, cui corrumpi novis his rerum studiis et immutari civitas rudis videretur in peius, cum censor esset creatus, magna voce bonisque lateribus Graeculorum mores Latine insectatus est. Atqui et ipse, multum aetate proventus, veritus ne indoctus aut idiota haberetur, litteris quoque Graecis studiose ediscendis se tradidit. Vere ut dicam Graecia capta et Catonem ceperat. Id de ceteris Romanis facilius sua aetate, et peracute et candide Horatius notavit versibus qui in ore omnium sunt :

*Graecia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio*

quod quidem Andronicus, Naevius, Plautus, Ennius, Terentius, ceteri poetae, qui hac aetate fuerunt, suis carminibus aperte declarant.

V. Plebs quoque capta est, quae cum nihil ad id tempus potius habuisset quam ut ludos circenses spectaret, qui *Ro-*

mani, Apollinares, Plebei, Megalenses nuncupabantur, deinceps ludis scaenicis magis delectari coepta est. Ad sua quaeque statuta tempora, maximo populi concursu in singulos annos crescente, ludi celebrabantur, apparabantque impensis suis censores, ut sibi populi gratiam conciliarent. Prospectum itaque a censoribus est ut apparatiore loco fierent, ideoque anno quingentesimo octogesimo sexto post Urbem conditam saeptus palis est spectantium locus, exstructumque ex tignis, ad Apollinis templum, theatrum quod staret perpetuo. Exaedificatum sine subselliis tamen ex integro theatrum est anno sescentesimo additaque post paucos annos subsellia. Pompeius denique, ut sibi popularem gratiam conciliaret, anno sescentesimo nonagesimo nono theatrum ex marmore factum erigendum curavit. Saeculis etiam quae dico, cum consules, praetores, tribuni militum, privatas aedes et publicas, deorum templa, quae in Sicilia inque Graecia viderant, columnis magnificentissime extracta, emblematis ornata, signis simulacris ceterisque artificiiis referta, maxime admirarentur, mutis quoque artibus, quae plasticae appellantur, vehementer delectati sunt. Livium huius rei auctorem produco: « *Marcellus* » ait « *captis Syracusis, cum cetera in Sicilia tanta fide atque integritate composuisset, ut non modo suam gloriam sed etiam maiestatem populi Romani auget, ornamenta urbis, signa tabulasque quibus abundabant Syracusae, Romam devexit, hostium quidem illa spolia et parta belli iure: ceterum inde primum initium mirandi Graecarum artium opera licentiaeque huic sacra profanaque omnia vulgo spoliandi factum est, quae postremo in Romanos deos, templum id ipsum primum, quod à Marcello eximie ornatum est, vertit* ».

VI. Nolim tamen ex his, quae dicimus, aliquis nullam antea et familiarem et vetustam apud Romanos artem statuariam fuisse arbitretur: quod quidem infitiantur et Hercules ab Evandro sacratus et Ianus geminus a Numa rege dicatus et signa quoque Tuscania, quorum mentio est apud Plinium

*Theatra
extruuntur*

*Liv. XXV. ab
Urb. cond. 40.*

*Plin. XXXIV
Nat. Hist. 16.*